

A C T A

SANCTI JULII VETERANI MARTYRIS

De sancto Julio martyre Dorostori in Moesia sermonem ediderunt majores nostri ad diem 27 Maii, tom. VI, p. 660, cuius scriptori manifeste prae manibus fuere Acta antiqua, quae hactenus latuerant. Contigit nobis haec reperire in codice olim coenobii sancti Petri de Cultura apud Cenomannos, nunc bibliothecae publicae Cenomannensis, ubi signatus est numero 217. Quae quidem eo genere scribendi concepta sunt et ita ab omni naevo qui recentiorem aetatem sapiat immunia ut jure merito inter Acta sincera connumeranda, quin et paulo post persecutionum adversus christianos tempora ex Actis publica autoritate descriptis majori ex parte excerpta videri possint. Ea itaque libentissime jam vulgamus.

Passio sancti Julii martyris.

1. Tempore persecutionis, quando gloriosa certamina fidelibus oblata perpetua promissa exspectabant accipere, tunc comprehensus Julius ab officialibus, oblatus est Maximo praesidi. Maximus praeses dixit : *Quis est hic ? Ex officio* 5 *dictum est : Hic christianus est, et non vult oboedire praeceptis legalibus.* Praeses dixit : *Quis diceris ? Respondit : Julius.* Praeses dixit : *Quid dicis, Juli ? Vera sunt haec quae dicuntur de te ?* Julius respondit : *Ita. Christianus enim sum; non nego me aliud esse quam sum.* Praeses dixit : *Numquid ignoras* 10 *praecepta regum, qui jubent immolare diis?* Julius respondit : *Non ignoro quidem; sed ego christianus sum et hoc facere non possum quod vis.* Nec enim me oportet Deum meum verum et vivum oblivisci.

2. Maximus praeses dixit : *Quid enim grave est turificare* 15 *et abire ?* Julius respondit : *Non possum praecepta divina contemnere et infidelis apparere Deo meo. Etenim in vana militia*

*quando videbar errare, in annis xxvii nunquam tamquam sce-
lestus aut litigiosus oblatus sum judici. Septies in bello egressus
sum, et post neminem retro steti nec alicujus inferior pugnavi.
Princeps me non vidit aliquando errare, et modo putas me,*
 5 *qui in prioribus * fidelis fueram repertus, in melioribus infide- * pejoribus?*
*lem posse inveniri? Maximus praeses respondit: Quam mili- tiam gessisti? Julius respondit: Sub arma militiae, et ordine
meo egressus sum veteranus. Semper timens Deum qui fecit
coelum et terram colui, cui etiam nunc exhibeo servitutem.*
 10 *Maximus praeses dixit: Juli, video te sapientem virum et gra- vem. Immola ergo diis persuasus a me, ut remunerationem
magnam consequaris. Julius respondit: Non facio * quae desi- * cod. scio*
*deras, ne incurram in poenam perpetuam. Maximus * praeses
dixit: Si putas esse peccatum, me assequatur. Ego tibi vim*
 15 *facio, ne videaris voluntate adquievisse. Postea vero securus
vadis in domum tuam, accipiens decennalium pecuniam, et de
cetero nemo tibi erit molestus. Julius respondit: Neque pecunia
haec satanae neque tua subdola haec persuasio privare me potest
a lumine aeterno. Deum enim negare non possum. Da itaque*
 20 *sententiam adversum me quasi adversus christianum.*
 3. *Maximus dixit: Nisi fueris regalibus praeceptis devotus
et sacrificaveris, caput tuum amputabo. Julius respondit: Bene
cogitasti. Obsecro itaque te, pie praeses, per salutem regum tuo-
rum, ut compleas cogitationem tuam et des in me sententiam, ut*
 25 *perficiantur vota mea. Maximus praeses dixit: Si non paeni- tueris et sacrificaveris, desiderio tuo traderis. Julius respondit:
Si hoc meruero pati, perpetua me laus manebit. Maximus dixit:
Suadetur * tibi. Nam si pro patriae legibus patereris, haberes
perpetuam laudem. Julius respondit: Pro legibus certe haec*
 30 *patior, sed pro divinis. Maximus dixit: Quas mortuus et cru- cifixus vobis tradidit? Vide quam stultus es, qui plus mortuum
metuis quam reges qui vivunt. Julius respondit: Ille mortuus
est pro peccatis nostris ut vitam nobis daret aeternam. Deus
vero idem ipse Christus permanet in saecula saeculorum. Quem*
 35 *si quis confessus fuerit, habebit vitam aeternam; qui autem
negaverit, habet poenam perpetuam. Maximus dixit: Condolens
tibi do consilium ut magis sacrifices et vivas nobiscum. Julius*

* cod. loco
tantum Mar-
cianus

* ita cod.

respondit : *Si vixero vobiscum, mors mihi erit ; si in conspectu Domini mortuus fuero, in perpetuum vivo.* Maximus dixit : *Audi me et sacrificia, ne te, sicut promisi, occidam.* Julius respondit : *Elegi mori ad tempus ut in perpetuo vivam cum sanctis.* Sic Maximus praeses dedit sententiam, dicens : *Julius, nolens praeceptis regalibus adquiescere, capitalem accipiat sententiam.*

4. Cum autem ductus fuissest ad locum solitum, osculabantur eum omnes. Beatus autem Julius dicebat eis : *Unusquisque videat qualiter osculetur.* Isichius autem quidam,¹⁰ christianus cum esset miles et ipse custodiretur, dicebat sancto martyri : *Obsecro te, Juli, cum gaudio comple pollicitationem tuam et accipe coronam quam Dominus confitentibus sedare repromisit, et memor esto mei. Nam et ego sequar te.* *Plurimum etiam saluta, posco, fratrem Valentionem famulum*¹⁵ *Dei, qui nos jam per bonam confessionem praecessit ad Dominum.* Julius vero osculatus Isichium dixit : *Festina, frater, venire. Mandata autem tua ille audiet quem salutasti.* Et accipiens orarium, ligavit oculos suos et tetendit cervicem suam et dixit : *Domine Jesu Christe, pro cuius nomine haec patior, te*²⁰ *deprecor ut cum tuis sanctis martyribus spiritum meum suscipere digneris.* Minister itaque diaboli percutiens gladio finem imposuit beatissimo martyri, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.
